5

# MARIÆ ROSÆ PARISIO

# FILIÆ EQUITIS NICOLAI

A SECRETIS REGIS GRATIÆ ET JUSTITIÆ

ET MARIÆ LUTGARDÆ D'ONOFRIO

IN COENOBIO

## S. MARIÆ SAPIENTIÆ

ORDINIS

S. DOMINICI, CHRISTO DESPONSÆ

EPITHALAMIUM

Joseph Famiglietti




NEAPOLI MDCCCXLV

EX TYPOGRAPHIA PORCELLIANA.

# ELEGIA.

ÆRA sonant, spissis rutilant altaria flammis,
  Insolitoque nitet clarior igne dies.
Connubio venit lux haec laetissima sancto:
  Iunguntur stabili virgo Deusque fide.
Virgo quidem thalamo supremi Numinis impar,
  Sed fecit nimio Numen amore parem.
Ipse tamen, quamvis sit rex ditissimus orbis,
  Sponsam dotali nomine poscit opes.
Dos est virginitas, dos acceptissima sponso:
  Dos est paupertas gratior usque Deo.
Ipse Dei soboles, Deus ipse est virgine natus:
  Tantus amor, tantus virginitatis honor!
Ipse Patris iussu coelo demissus ab alto
  In nostram venit pauper et exul humum,
Antraque sidereae (proh mirum!) praetulit aulae,
  Antra quieturo vix satis apta gregi.

Sancta oh virginitas, paupertas sancta, puellis
Regia dos, magno munera digna Deo!
Ergo sponsa veni, baccis auroque remotis,
Et nulla in toto corpore gemma micet.
Maiorem gemmis animum cum paupere cultu
Indue, et aetherei causa decoris erit.
Indue virgineum velantia flammea vultum,
Spectarique aliis forma pudica neget.
Sponsa veni: luctusque animo studiumque tuorum
Excidat, et patriae nomen amorque domus.
Christus amans solam sine re, sine nomine sponsam
Ardet te sancto stringere coniugio.
Ille tuos solus totos sibi poscit amores,
Ille tibi totos retribuitque suos.
Sponsa veni: turba Sponsus stipatus ovanti
Te manet, et longae fert male damna morae.

Oh quae illi species, decor oh qui nobilis oris!
  Oh quae divino corpore forma nitet!
Cuncta placent, niveusque color, flavique capilli,
  Et diffusa labris gratia multa suis.
O felix Rosa, quali iam sociabere sponso!
  Sis merito tantis ambitiosa bonis!
Ergo veni: Aligerum qui te comitentur euntem
  Expectant taedis caelica turba sacris.
Te Rosa diva vocat, caelestis conscia voti,
  Nunc tua, et usque tui perstudiosa parens (1).
Te Regina poli, Sponsi pulcherrima mater
  Sollicitat, thalamo pronuba facta tuo.
Ipsa tibi natum iunget, propriamque dicabit
  Te illi, siderei participemque thori :

(1) S. Rosa Limana.

Te.... sed sponsa venit; procul o procul esto profani:
  Conveniunt pietas, relligioque simul.
Lampada virgo gerens dextrâ jam sistitur aris,
  Virgo prudens jam dignaque parque Deo.
Virginei o coetus, castae innuptaeque puellae,
  Huc huc ferte citos, o bona turba, pedes.
Tu quoque, Nata mea (1) adsis pars non ultima turbae,
  Quaeque vides, memori pectore conde tuo.
Faemineos hodie hic vobis spectare triumphos
  Contigit, et sancti nobile amoris opus.
En subeunt oculis sacro spectacula ritu,
  Ecce subit sacris mystica pompa modis.
Spiritus aethereo delectam agit igne puellam,
  Spiritus aethereo missus ab axe Deus.

(1) Amalia Famiglietti.

Divina ardentes flamma memorabile et altum
  Praemonstrant frons, oculi, atque genae.
Illa suos tandem Sponso testatur amores,
  Spondet et aeternam corde micante fidem . . .
Christe, meae requies, mea magna potentia solus,
  Solus, Christe, viae portus et aura meae.
Te peto, te cupio: tu spes et meta laborum,
  Tu mihi fons omnis principiumque boni.
Ipsa tibi vinclo corpusque animumque iugali
  Devoveo; inde tui pars ego, tuque mei.
Obtinui quidquid quantumque optare solebam,
  Nec voti pars est ulla caduca mei.
Hoc ego non mereor: nec enim contendere votis
  Huc licuit nostris, sed tuus egit amor.
At si divini thalami dignaris honore,
  Fac ut sim thalamo digna puella tuo.

Ipse meos habeas merito tibi solus amores,
Ipse tibi pactam perpetuamque fidem.
Implebis mea cura meas noctesque diesque,
Nullaque erit meriti non memor hora tui.
Cor oculosque meos rapiet tua regia, coelum,
Et mihi iam illic erunt omnia... Terra vale.